



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 211. Si filius Dei es descende nunc de cruce. v. 40

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

nias, damnatum salves, mortuum resuscites. Quid retribuam tibi ô bone Jesu pro cunctis hisce & immensis beneficiis! quid enim est homo, quod adeo sitis salutem eius, tanta pateris pro redemptione illius, tantum laboras ad pertrahendum eum ad amorem tuum, quid delectare te potest homo perditus? ad quid utilis est peccator immundus? aut quod deniq; commodum expectas à vili ac misero vermiculo, quod ita apponas erga eum cor tuum! ô Deus verè Salvator noster!

§. 211. *Si filius Dei es descende nunc de cruce. v. 40.*

Agglomerant Judæi objectiones & molestias in tormentis acerbissimis crucis pessimi inimici Iesu ipsi liberi à dolore urgent in umbra mortis positum ad disputandum negantes eum esse filium Dei, quia pendet clavis per manus & pedes affixus.

O Judæi si vultis æquo iudicio contendere, pendete & vos è cruce & apparebit cito an ille, an vos sitis filii Dei. Ille tacens probat se esse filium Dei moribus, vos loquentes proditis vos esse filios Satanæ ille enim etiam nuper suadebat ei; *Mitte te deorsum*, sed repulsam passus est, uti & vos modo qui suadetis ei ut descendat è folio tuo, à quò debet regnare. Si ille folium sui Regni relinqueret, se Regem esse negaret, quia imposuistis iam Titulum Regium cruci, cuius locum deserere non debet, si sapit.

**D**omine Iesu Christe, Deus noster, regnans à ligno, gratias tibi ago, quod locum tuum, assignatum tibi à Patre, & à te ipso electum, & nobis salutarem non deseruisti, sed usque ad mortem retinuisti: nobis dando in ligno exemplum constantiæ, ne locum nostrum unquam deserere velimus. Adoro te, Regem Regum à ligno regnantem.

§. 212. *Similiter & principes Sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus dicebant. v. 41.*

Audientes princeps sacerdotum cum scribis & senioribus vulgus prophanum, iam amplius non credere hunc Christum esse filium Dei & Messiam, sed seductorem populi, recreati acclamant morituro simillima carmina, credo quod canticum fecerint ex tēpore more regionis suæ, ubi moriserat, ut periti cantores & cantatrices quasi spiritu fatidico afflati versus accinerent & cæteros choros agentes intercalari versu perpetuo instruebant quem populus præcinentibus carmen identidem subiungebat. Tale carmen intercalare, credo fuisse quod populus accinuit versu 40. expressum; *Vah, qui destruis templum &c.* Sacerdotes vero & principes eorum cum scribis & senioribus, similem illi versum intercalarem accinuisse, de quo dicam: nempe, *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere &c.*

Vere